AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Göttweig (?), 12. Jh. Seite 85r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

inuito quidem fiebat nec tamen ostendebat naturam mentis alie
ne sed penam meam. Et ideo non iam ego operabar illam. sed
quod habitabat in me peccatum. de supplicio liberioris pec
cati. quia eram filius adam. Nam si tot sunt contrariae naturae.
quod uoluntates sibi resistunt. non iam duae sed plures erunt.
Si deliberet quisquam utrum ad conuenticulum eorum pergat.
an ad theatrum. clamant isti. ecce duae naturae. Vna bona
hac ducit. alia mala illac reducit. Nam unde ista cuncta
tio sibimet aduersantium uoluntatum. Ego autem dico ambas
malas. et quae ad illos ducit et quae ad theatrum reducit.
Sed non credunt nisi bonam esse. qua itur ad eos. Quid si ergo quisquam
noster deliberet. et secum altercantibus duabus uoluntatibus fluctuet.
utrum ad theatrum pergat. an ad ecclesiam nostram. Nonne et
isti quid respondeant fluctuabunt. Aut enim fatebuntur
quod nolunt. bona uoluntate pergi in ecclesiam nostram. sicut
in eam pergunt qui sacramentis eius imbuti sunt atque detinentur.
aut duas malas naturas. et duas mentes malas in uno ho
mine confligere putabunt. et non erit uerum quod solent
dicere unam bonam. alteram malam. aut conuertentur ad uerum.
et non negabunt cum quisque deliberat animam unam diuersis
uoluptatibus aestuare. Iam ergo non dicant. cum duas uoluntates
in homine uno aduersari sibi sentiunt. duas contrarias
mentes. de duobus contrariis principiis. contendere unam
bonam. alteram malam. Nam tu deus uerax improbas eos et
redarguis. atque conuincis eos sicut in utraque mala uolun
tate. cum quisque deliberat. utrum hominem ueneno interimat.
an ferro. utrum fundum alienum illum. an illum inuadat. quando
utrumque non potest. utrum emat uoluptatem luxuria. an pec
uniam seruet auaricia. utrum ad circum pergat. an ad theatrum.